

## V

## PROMISSIO ET CONVENTIO

1234 luglio 28, Grosseto.

Il comune di Grosseto promette di vendere al comune di Siena la *blada de Grosseto*.

Originale, ASS, *Diplomatico, Riformagioni*, 1234 luglio 28 [c. 57].

Regesti: ASS, Ms B 21, c. 93r; A. LISINI, *R. Archivio di Stato di Siena. Inventario delle pergamene conservate nel Diplomatico dall'anno 736 all'anno 1250*, Siena 1908, p. 252; *Regestum Senense. Regesten der Urkunden von Siena*, I. Bis zum Frieden von Poggibonsi, 713 - 30 juni 1235, bearbeitet von F. SCHNEIDER (Regesta chartarum Italiae, VIII), Roma 1911, n. 970, p. 429.

In Dei nomine eterni amen. Dominus Soartius de Colle, Dei gratia Grossetanus potestas, ad honorem et firmam amicitiam domini Petri Anibaldi Romanorum proconsul Dei gratia Senensis potestatis et eiusdem civitatis et communis captandum et retinendum volens ipsius potestatis et communis civitatis Senensis petitioni, voluntati et utilitati parere de consensu Bonifilii camerarii et Iacobi scribe suorum et communis Grosseti presentium, et de voluntate et consilio dominorum Gerardi Grifi, Gerardi Benencase, Ormanni Maçagalli, Ildibrandini Mannelli Tudini, Bene Mariscotti, Alamanni Biliocti, Ranuccii Tieçi, Piovanelli Salvi, Marsoppi, Gerardi Bentivegne, Bonaccorsi Cingarelli, Montanini Asbergati, Inghilberti, Albertini Boniçii Bandi, Iuseppi Ricolsuli, Rollandi Falabusce, Tineosi, Bonaccorsi medici, Bonaventure Ricci et Ciciliani suorum et communis Grosseti consiliariorum, ad sonum campane more solito cohadunatorum, et dominorum Orlandi Pedivacce, Ranerii Pidollii, Albertini Nobilis, Primerani, magistri Andree, Ildibrandini Balesii, Tomasi Gerardi, Ro[du]lfi<sup>1</sup> Balesii, Benencase Balduccii, Tancredi Ricolsuli, Maçomallii, Bonaventure Tedeschi, Bentivegne Boccafidelis, Brunicardi Maçatinte, Bonaccorsi soppedanarii, Mangerii, Gualcherini, Maremmani Grassi, Bencivenne Negatelli, Bernardini Faidin[e], Ildibrandini Salvi, Bonafidei apotecarii, Oddonis prep[ositi], Benencase Bacialis, Arriguccii, Bonaventure Ranucii Longi et Uliverii Menti nobilium et bonorum hominum de Grosseto de voluntate dicti consilii additorum huic consilio et contractui peragendo presentium et consentientium, promisit et convenit dominis Gualterocto Lucensi et Bassamonti Ranuccii civibus Senensis et ambasciatoribus dicte potestatis et communis civitatis Senensis pro ipsa potestate et communitate senense et vice et nomine earum recipientibus dare potestati prefate et communis de Senis et cuicumque predicta potestas Senensis voluerit et ip[so]<sup>2</sup> domin[o] Soartio potestati de Grosseto significaverit venditam de blada de Grosseto bona fide, sine fraude, videlicet de frumento, ordeo et spelta; et promisit predictis ambasciatoribus ut dictum est stipulantibus quod venditam de blada de Grosseto non faciet aliis personis vel locis sine voluntate et parabola dicte potestatis Senensis hinc ad kalendas proximas ianuarii, hoc posito in hoc contracto inter eos quod si blada de Grosseto valeret in antea plus quam nunc valeat et discordia inter ementes de Senis et vendentes bladam de Grosseto oriaretur<sup>3</sup> de pretio blade sit ad dictum et arbitrium quattuor bonorum hominum et legalium, videlicet duorum electorum a potestate predicta de Senis et duorum electorum a dicta potestate de Grosseto, et quicquid illi quattuor communiter et concorditer dixerint et arbitrati fuerint de pretio blade utraque pars habeat et teneat firmum et ratum. Que omnia et singula predicta dominus Soartius potestas Grosseti per se et communitatem de Grosseto promisit et convenit iamdictis ambasciatoribus ut supra dictum est stipulantibus adtendere, observare et contra non venire vel facere ad penam C marcarum boni et puri argenti, quam penam eis stipulantibus ut dictum est si commissa fuerit dare atque pagare promisit; qua pena soluta vel non soluta firmus

<sup>1</sup> *Foro nella pergamena*.

<sup>2</sup> *Foro nella pergamena*.

<sup>3</sup> Segue discordia espunto.

maneat hic contractus. Actum Grosseti in choro episcopii, coram Melliorato, Ildibrandino Maltalliolo et Iohanne de Blaco testibus ad predicta, anno Domini millesimo CCXXXIII, V kalendas augusti, regnante domino Frederico Romanorum imperatore, inductione septima. Ego Iacobus de Grosseto summe imperialis aule ordinarius iudex atque notarius et nunc scriba communis Grosseti predicto contractui interfui et ut supra legitur domini Soartii potestatis et dictorum ambasciatorum mandato scripsi et publicavi. (SN)